

1738.

1. Alberti, Michael: Vivuntio in ang. medica, commentationem
medicam in scripsit. . . lib. 21. 47. 1. exhibeo.
2. Baumgarten, Alexander Gottlieb: Mordine in auctoribus
philosophicis per triennium academicum quatenus prae-
fato accresces proximae auctorati destinates interdum.
3. Baumgarten, Sigism. Tac.: Commentatio diutorio. theo-
logica de solennium Christi natus sacrum originibus,
new nomine senatus academicus natalis Tonini iudicij.
4. Bochmer, Georgius Antonius: Descholis Romanorum quædam
præfatu generosissimus . . . commentationes ad
scholas suas privatæ proxima aestate habendas
intendit.
5. Bochmer, Georgius Antonius: De provocacionibus iuris
Germanici:
- 6¹ = Bochmer, G. Samuel Historian: De executionis
pænsum capitalium dureitate. 2. Saugt. 1738 - 1745.

7. Bochmerus, Iustus Henningius: De origine, progressu,
aliquae iuris que clae sonegatae vel prostratae iustitiae

8. Eger, Salomon Sachinus Bondy: De hemicrania

9^a = Parrach, Joannes Tabius: De bucaro: illiquoris
cum liquido nulla est compensatio. . . . quo organ-
sationes sabbaticinas. . . . indicat. . . . 2 Saenf. 174.

10. Parrach, Joannes Tabius: De canto compromissorum
in arbitris usq.

11. Gasser, Simon Petrus: De actionibus in rem scriptis
et cum que genuino conceptu

12. Hinneccius, I. Yule: De dominio, subditis suo in
justis suis convenientibus.

13^a = Hinneccius, I. Yule: De locacione constructione iuriis
Primitivis. 2 Saenf.

14^a = Hinneccius, I. Yule: De causa servitutis perpetua
2 Saenf. 1738 et 1756

- 15^a b
= Heinoccius, Jo. Gall: De jure principis circa civium
Austriae 2 exempl. 1738
- 16^a b
= Heinoccius, Jo. Gall: De jure principis circa com-
merciorum libertatem hanciam. 2 exempl. 1738.
17. Heinoccius, Jo. Gall: De reuentione illicita fractum
in herbis
18. Hoffmannus, Fridericus: De cortice cascariellae ciasque
iurisquibus in medicina usitatis.
19. Hoffmannus, Fridericus: De scorbuti vera origine indele
ac curatione
20. Frickerus, Joannes: De purpura alba maligna et benigna
sive chronicā.
21. Frickerus, Joannes: Dissertationis in any med'ia, qua exemplo
plectrone demonstratur, quod bonis theoreticis bonos quoque
sit practicūs.
22. Frickerus, Joannes: De humorum spiratio in se multorum
morborum causa.

23. Kerselring, Johannes Heurnius: Historia et examen
methodi Fructuarianae summi et laetissimi libri de Tomba
24. Prof. Goropius: Methodus philosophiae scilicet non
mater.
25. Prof. Goropius: De abragato et abragante.
26. Rossmann, Petrus Lewis: De exceptionibus iuris gen
tium in negotio pacis egit simulque rectificationes
iuris legemales indicit.
27. Schulze, Johann Heinrich: Diskussionschrift zu einem
Polemico privato, der die Monog.-Wissenschaft und die
Verus j. christianae Theologie v. Romische Ultrathinnes.
28. Schulze, Joannes Heurnius: De Cibis animalibus quam
sunt reni magis infesta.
29. Sommerg, Dr. Virian: Specimen inang. med. entitatis dyzen
terium ejusque causationem observationibus ac causulis
suntis adornatum.

P. 19. num. 7. D.D.

13 PROGRAMMA IVRIDICVM

DE

BROCARDICO:

ILLIQVIDI CVM LIQVIDEO
NVLLA EST COMPENSATIO,

Ad L. vlt. s. i. C. de Compensat.

VVLGO:

Geld vor, Recht nach,

QVO

DISPV TATIONES SABBATHINAS

P V B L I C A S

INDICAT

ET

AD EAS AVDIENDAS

PATRONOS ATQVE FAVTORES,

QVA DECET OBSERVANTIA,

I N V I T A T

D. IOANNES TOBIAS CARRACH

IVRIVM PROFESSOR P V B L I C V S ORDINARIUS

E T ASSESSOR SCABINATV S REGII.

HALAE MAGDEBURGICAE

TYPIS IOAN. FRIDERICI GRVNERTI ACAD. ET SENAT. TYPOGR.
RECVS. ANNO CIOCCXL. (5)





Q. D. B. V.

§. I.



ntiqua non solum apud Romanos
regularum iuris fuit autoritas:
sed in Germania etiam hodie a
multis magni habentur senten-
tiae iuridicæ, quæ a BVRCHAR-
DO Episcopo Wormatiensi, qui
sec. XI. floruit, dicuntur Brocar-
dica, STRAVCH *Amænit. Iur. Can. Eclog. VI.*
cap. 6. Nec omnino res erit reprehendenda, præ-
fertim in ICtis forensibus, quos oportet plurima
ex memoria exponere; cum tamen insignem le-
gum molem vix sustinere possit hominis memo-
ria: cur itaque brocardica axiomata iuris conti-
nentia non deberent subuenire, vbi memoria de-
fecit? Neque vero dissimulandus est eiusmodi

A 2 sen-

sententiarum abusus, quem cum DVAREN
Comment ad L. 1. s. 4. D. de V. O. CVIACIO in
Papinian. ad L. 4. D. de Vsur. THOMASIVS
Diff. de Fatuit. brocard. caus. fatua excus. a dol.
cap. i. notauit: s̄epe enim loco iustarum regula-
rum circumferuntur obscuræ, inadæquatæ imo
falsæ positiones, quæ, quo fertiliores sunt conclu-
sionum, eo plures gignunt errores. Idcirco ad-
hibenda sunt brocardica cum duplici cautione
PAVLI in L. 1. D. de Reg. Iur. vt eorum veritas
& autoritas ex ipsis legibus harumque valore &
veris iurisprudentiæ principiis æstimetur, & in
applicatione omnes circumstantiæ rite considere-
rentur, an regula ad eas pertineat. Eodem ex-
amine indiget tritum dicterium: Illiquid cum
liquido nulla est compensatio: MARTINI Comm.
ad Tit. 39. s. 1. n. 269. & Tit. 45. s. 12. n. 34. Ord.
Iud. Sax. de quo paucis hac præfatione exercitii
cuiusdam disputatorii tractabo.

§. II.

Dubio caret, quod compensatio, quæ
 est debiti & crediti mutui inter se contributio,
 Iure Rom. recentiore obligationem non demum
ope exceptionis sed ipso iure tollat, ita ut non
opus sit debitori, cui creditor ad idem obliga-
tus

tus factus est, ius compensandi & facultatem
inde contra creditorem excipiendi a prætore
impetrare, neque conuentione mutua cum cre-
ditore de hac re indigeat, verum ipso momen-
to, quo creditor debitori suo idem debere inci-
pit, eius creditum & actio pro concurrente sum-
ma extinguatur *s. 30. Inst. de Act. L. vlt. C. de*
Compensf. & effectus solutionis utrumque inci-
piant: vnde quod omissa compensatione solu-
tum tanquam indebito solutum condici potest
L. 10. s. 1. D. de Compensf. L. 30. D. de Cond. Indeb.
FRANTZKIVS ad Tit. D. de Compensf. n 8. Ea-
dem præcepta in Germania quoque obtinere, eo
minus dubium, quo magis compendiosa hæc so-
lutio æquitati naturali congrua est; cum dolo
quis petat id, quod mox restituturus est: sicuti
iam CAROLI M. tempore Germanos naturalia
hæc principia secutos esse, ex *Caroli M. Capitul.*
Lib. VII. cap. 224. probauit & a dubio ex *Iure Sax.*
Prou. Lib. III. art. 12 desumto vindicauit SCHIL-
TER ad ff. Exercit. XXVIII. s. 16. Antiqui
autem iuris Romani fabulae de negotiis & actioni-
nibus bona fidei atque stricti iuris distinctis, ac
diuersus aut ipso iure ciuili, aut ope exceptionis,
a prætore contra obligationem iure ciuili stricto
adhuc inique durantem impetranda, credita &

A 3 actio-

actiones tollendi modus in Germania nunquam obtinuit.

§. III.

Quoniam autem compensatio factum supponit, unde mutuum debitum & creditum exortum: ideoque debitor, nihilominus coram magistratu conuentus, actorem compensatione repulsurus omnino tenetur, factum illud, & quod ius actoris inde mutuo credito nato extinctum sit, in iudicio allegare, adeoque exceptionem compensationis coram magistratu, qui eam vaticinari nequit, deducere; cuius exceptionis fundamentum in facto consistens, si negetur, reus, vti in ceteris exceptionibus, probare debet: quo facto tamen non demum a tempore opposita aut probatae exceptionis, sed statim ab eo momento, quo creditor debitori iterum obligatus exstitit, solutionis effectus compensatio habet per §. 2. Evidem IMPERATOR IVSTINIANVS voluit, ut compensationes obiciantur, si causa, ex qua compensatur, liquida sit, & non multis ambagibus innodata, sed possit iudici facilem exitum sui praestare, quod pluribus in L. vlt. §. 1. C. de Compensat. legere poteris. Huius legis summulam Corpus Iuris Glossatum non solum

solum hoc modo profert: *Debiti ad debitum admittitur compensatio. Fallit in tribus casibus, scilicet, quando debitum petitum est liquidum, exceptio autem obscura &c. sed etiam exinde formatum est brocardicum: illiquid cum liquido nulla est compensatio;* vt hoc casu locus sit parcemæ Germanicæ: *Geld vor, Recht nach.*

§. IV.

Verum enim vero hæc *Lex vlt. C. de Compensf.* non hodie demum dubiis ansam dedit: nam, vt transeam *CVIACIVM Lib. VIII. Obs. XVI. ex L. 22. D. de Compensf. & L. 3. D. de Tut. & ration. distr.* quas §. seq. accipiemus, colligentem, ac si *IMPERATOR* nihil noui constituifset, varie de ipsa legislatoris voluntate, & ad quos casus pertineat, disputatum est. Sic quidam hanc legem restringunt ad casum, si reus, qui intentionem actoris negavit, conuictus tamen compensatione se tueatur. Audiendum vero reum esse censem, si intentionem actoris confitens compensationem obiiciat: quia 1) alias posset aduersarius interim desinere soluendo esse, & 2) posset debitum naturale esse, quod non actione, sed compensatione impetrandum, 3) præterea que auctorem ab onere probandi releuans ipse ab eodem releuandus esset. *vid. cum Glossa BRVN-*

NEM.

NEM. ad cit. L. vlt. n. 7. Verum præterquam quod in hac lege actoris intentionem confitenti conditio melior quam neganti concessa non appareat, atque huic exceptio compensationis absolute non sit denegata, adhuc rationes due priores ex BRVNNEMANNO prolatæ tam ad reum negantem quam confitentem spectant, & primæ rationi per cautionem, secundæ per conditionem indebiti vid. §. 2. satisfieri potest: postrema ratio autem aperte falsa & a re aliena est; sic porro ipse BRVNNEMANVS cit. loc. n. 8. iterum cum *Glossa* totam rem committit iudicis arbitrio. Sane debitum litigiosum a reo intentionem actoris quoque negante in compensationem deduci posse, satis liquet ex L. 8. & 16. §. 1. D. de Compens. L. 2. 5. & 6. C. eod. quantumque temporis spatium apud Romanos indulsum fuerit, ad exceptionem compensationis liquidam reddendam, facile colligere licet arguimento a fisci causa fauorabiliore ad causas priuatorum deducto ex L. 46. §. 4. D. de Iure fisci: cum bimestre spatium, ad hanc exceptionem contra fiscum probandam, reo concessum sit.

§. V.
Equidem cit. Legis vlt. C. de Compens. intentione huic redire videtur. Antiquo Iure Romano

mano compensationem tantum locum habuisse
in iudiciis bonæ fidei, plane autem non in iudi-
ciis stricti iuris, sed in his ex constitutione MAR-
CI eam demum admissam fuisse opposita exce-
ptione doli ex *s. 30. Inst. de Action.* palam est,
& latius docet *CVIACVS cit. loc.* quin IDEM ex
L. 4. 6. & 21. D. de Compensf. colligit, quod tan-
dem inter prudentes constiterit, & ab IMPER-
ATORE ALEXANDRO SEVERO *L. 4. C. eod.*
atque postremo a IVSTINIANO *L. vlt. C. eod.*
confirmatum sit, compensationem vbique ipso
iure fieri. Cæterum exceptiones peremptoriæ in
iudiciis bonæ fidei quandocunque opponi po-
tuerunt, quæ in iudiciis stricti iuris ante litis
contestationem proponendæ & post eam pro-
bandæ erant. Exæquata itaque compensandi
facultate in bonæ fidei & stricti iuris iudiciis,
compensationis exceptio quoque in quovis iudi-
cio quandocunque opponi quod posset, seque-
batur. Ne tamen hoc iure nouo in protractio-
nem litium abuterentur rei, voluit IVSTINIA-
NVS *cit. L. vlt.* vt eiusmodi exceptionem, si non
antelitis contestationem sed demum post eam in
finelitis sit opposita, iudices hoc casu non atten-
dant, sed *stricto iure* antiquo vtidebeant, *alii iu-*
dicio compensationem reseruando, si ambagibus

B

multis

multis innodata maiorem & ampliorem exposcat indaginem, seu iuxta s. 30. Inst. de Action. si iure aperto non nitatur. Hæc verba quidem ad modum probandi compensationem necessario non pertinent, sed de qualitate debiti compensandi ex futuro euentu dependente, adeoque incerta, possunt intelligi; quæ etiam est sententia L. 22. D. de Compens. & L. 3. de Tut. & rat. distr. quas supra s. 4. ex CVIACIO citavi conf. GOTHOFRED. ad cit. Leg. 3: Quin licet IMPERATOR quoque simul ad ipsum exceptionem probandi modum respexisset: dubito tamen, num ambagi- bus litis obuiam iuerit; qui potius ambigua & nimis indeterminata lege vago & illimitato arbitrio iudicium rem committens incertitudini iuris & ambagibus ansam dedisse videtur.

§. VI.

Ista Romanæ legis incertitudo indeque exsculpta ICTORUM regula vulgaris eo minus commoda est foris Germanicis, quo minus compensationem ex Romano Iure didicerunt Germani vid. s. 2. aut ex illo eam haurire opus est, atque quo magis fori Romani processus in multis nobis ignotus vel certe parum aptus est. Quam incertum præterea in ipsis foris Germanicis sit, quid in continentि liquidum, quidue altio-

altioris indaginis, dixi *Dissert. de Exception. lit. ingress. impedientibus &c. §. 13.* Quousque itaque compensationis exceptio tanquam liquida obiici queat, aut tanquam illiquida ad aliud iudicium reiicienda sit, ex propriis principiis ipsius processus Germanici & secundum relationem ad eum procedendi modum, quo tractatur actio, cui compensatio obiicitur, erit diiudicandum. Videlicet I) si conuentio ab actore intentata summario processu, vtpote cambiali, executiuo, alioue tractatur, compensatio quemadmodum admitti & summariter de ea doceri debeat, statuendum est ex indeole cuiusuis harum causarum & summarii, quo quælibet tractanda, processus qualitate ordinationibus processualibus cuiuslibet loci specialius determinata, atque pro modo reliquas exceptiones in his causis disceptandi. II) Quodsi actio ordinario processu examinetur, tunc quidem compensationis exceptio ante lit. cont. obiecta attendi non poterit, sed post eam reiicienda est, per deducta cit. *Diss.* Si vero III) in processu ordinario lit. contestationi ista defensio adnegetetur, ea audienda est, siue reus actoris intentionem per omnia confessus fuerit, siue eam penitus negauerit, siue litem partim affirmando, partim negando contestatus fuerit, quo-

cunque medio & modo solenniore probandi indigeat exceptio, aut quocunque probandi medio reus intra ordinarium terminum probatorium vti velit *conf.* BEYER. *Delin. Iur. Ciu. ad Pand. Tit de Compens. posit. 32. sqq.* CARPZ. *P.I. Conf. VIII. Def. 13 & 14. n 6.* Nulla enim subest ratio, vnde hæc exceptio deterior esse debeat aliis peremtoriis, cum tamen litem non magis remoretur. Hinc non solum de Iure Saxonico cum Notis ad STRAVCHII *Dissert. XVII. ad Ius Iustin. Thes. X.* sed etiam de processu communi ita tenendum est, vtpote cuius principiis dicta conueniunt. IV) Idem illud quoque obtinebit, licet quidem lit. contestationi subnexa non fuerit; attamen si denuo emergens ante sententiam, aut V) quidem post sententiaz pronunciationem, sed in secunda instantia vi beneficii *Legis 4. C. de Tempor. appellat.* proponatur hæc exceptio: vtroque enim hoc casu ordinaria probatione eam deducere, nulla prohibet ratio. VI) Plane aliud est, si demum post rem iudicata executioni compensatio obmoueatur. Nam quæ tunc exsurgunt controversiaz aut oggeruntur exceptiones ad instar processus summarii sunt expediendæ; idque eo magis, quo maior calumniandi suspicio nunc exoritur: quapropter re-

repetenda sunt dicta *num. I.* Denique VII) etiam si hoc & sub *num. I.* relato casu de exceptione compensationis summarie doceri nequeat, eaque alii iudicio reseruetur & tandem per reconventionem deducatur: nihilominus tamen effectus compensationis nunc demum probatæ non ab hoc tempore, sed ex eo momento, quo creditum natum est, cœpisse, æstimari debent *per ss. 2. & 3.* Satis ex his constabit, quæ sit virtus brocardici nostri, & quomodo hæc regula vitietur; plura addere, instituti ratio non permittit: sed restat, ut exponam de negotio, cui præmittenda fuit hæc præfatio.

§. VII.

Annus abhinc est, cum *programmate de Sorite fallaci* commendarem simulque indicem publicum exercitium disputatorium. Res successit feliciter, & instituti vtilitate in imitationem laudabilem accensi sunt Iuuenes Nobilissimi Iurium Cultores ab industria, eruditione, quam ætas exigit, & probitate commendandi

DN. IOHANNES ERNESTVS REIMERS,
Halensis Magdeburgicus.

DN. IOH. ANDREAS PFANNENSCHMID,
Quedlinburgensis.

B 3

DN.

- DN. FRIDERICVS IVLIVS SPECKHVN,**
Magdeburgensis.
- DN. CHRIST. GVILHELMVS KORNMANN,**
Magdeburgensis.
- DN. IOH. AVGVSTVS FRAVENDORFF,**
Custrin. Marchicus.
- DN. IOHANNES SAMVEL WILCKE,**
Züllichouiensis Silesiacus.

qui idem exercitium me præside postularunt. Suasor his
fui, vt ipsi occasione Institutionum Imperialium theses in
chartam coniicerent ex cathedra publica defendendas, in
quibus eligendis libertatem concessi autoribus, quo facilior,
pro viribus cuiusuis, sit disputatio, non ostentandi, sed pro-
fectuum excolendorum causa in publicum prodeuntibus.
Igitur per præsens semestre æstiuum quoquis die Sabbathi
post horam primam pomeridianam in Auditorio Iuridico, auf
der Wage, disputabunt, quos & quo per sortem assignato
ordine recitau: cuius negotii initium erit Ieh. luu. die
XIV. Junii a. c. Quam ob rem PATRONI & FAVTORES,
vt sua præsentia animos Iuuenum egregiorum magis accen-
dant, ea, qua par est, obseruantia etiam atque etiam
rogantur. Dab. Hale Magdeb. die X. Junii
Anno MDCCXXXVIII.



Theſ

THESES

Occas. Proæmii & Lib. I. Tit. I. usque ad VIII. Inst.

QVAS PVBLICE DEFENDET
AVCTOR

IOHANNES ERNESTVS REIMERS

HALENSIS MAGDEBURGICVS.

Thef. I.

NOn laudanda est iurisprudentia forensis, quæ in consciendis instrumentis publicis postulat inuocationem nominis diuini occas. Recess. Imp. 1512.

II. Nulla prærogatiua officialium militarium ante ordinem ciuilem, nec huius ante illos ex Pr. Procem. Inst. probari potest.

III. Partitio Institutionum in quatuor libros magis ab Imperatore ex necessitate quam animo deliberato facta est. Merito igitur negligendæ sunt ineptiæ commentatorum in hanc materiam.

IV. In scribendis legibus & codicillis recte prohibentur scripturæ compendia, que pariter fieri non solent in curiis & cancellariis.

V. Iustitia personæ, quæ a Triboniano definitur, plane ad ius ciuale non spectat & definienda ac tractanda potius est iustitia actionis, vrpote quæ est qualitas, secundum quam actio vel præcepta vel licita est.

VI. Sine lege actiones, neque bonæ, neque malæ, neque iusta neque iusta sunt.

VII. Non satis illorum opinio fundata est, qui unicum iurius præceptum esse aiunt: *Neminem lède.*

VIII. Hec tria iurius præcepta: Honeste viuere, neminem lèdere, siuum ciuique tribuere, non ad solam Iurisprudentiam, sed & ad Theologiam & Philosophiam, quantum ad bene beateque vivendum viam parant, pertinent.

IX. Infantes expositi, quorum parentes ignorantur, non spurii, sed legitimi esse presumuntur.

X. Seruus sine domino esse nequit: nec contrarium probatur, quod seruus hereditarius nullius sit in dominio.

XI. Manumissoris animus fraudandi credidores præ-

C.

sumitur

fumitur ex re: quapropter sufficit, alienatorem scire, se
soluendo non esse tempore alienationis, aut alienando non
manere soluendo.

XII. Ius asyli præter rationem extensum fuit.

THESES

Occas. Lib. I. ad Tit. IX - XII. Institutionum

AB AVCTORE

IO. ANDR. PFANNENSCHMID

QVEDLINBURGENSI

PVBLICE DEFENDENDAE.

Thef. I.

DE iure Romano patria potestas erat dominium Quiritarium in corpus & bona liberorum soli patri competens. De iure Germanico autem, principia iuris naturalis sectante, est imperium in liberos competens ob educationem & alimentationem. Qua de causa parentibus in liberos nil competit nisi modica castigatio, delicta vero magistratui relinquenda.

II. Ex his etiam paret, plures effectus patriæ potestatis Romanæ in Germania cessare.

III. De iure Germ. liberi a potestate patria liberantur simulac separatam instituunt cœconomiam, inuitu etiam patre, quod fecus erat I. R.

IV. In Germania separatam cœconomiam liberi instituunt matrimonium contrahentes.

V. Vsusfructus parentum in bonis liberorum iure Germ. prouenit ex tutela. Errant itaque ICti ex iure Röm. illum deriuantes.

VI. Vsusfructus quippe Romanorum patrius est reliquus ex iure acquirendi patris per filium.

VII. Definitio matrimonii, quam Tribonianus in §.r. Inst. de patr. potest. suppeditat, minus recta est; dicendum potius, quod matrimonium sit societas maris & feminæ sibolis procreandæ mutuique adiutorii gratia inita secundum solennia legibus præscripta.

VIII. De iure Germ. ius connubiorum non est prærogativa status ciuilis, sed quisque, siue liber siue seruus fuerit,

rit, verum ac constans contrahit matrimonium, nec obtinet distinctio Rom. inter connubium, quo ciues Romani, matrimonium, quo peregrini, & contubernium, quo serui gaudebant.

IX. Liberi matrimonium contrahentes de iure Nat. ex regulis decori parentum consensum impetrare tenentur, quæ regulæ legibus positius passim confirmatae.

X. Hinc parentum consensum consistorium quandoque supplere potest.

XI. Castratus verum matrimonium inire non potest.

XII. Legitimatio de iure Rom. in fauorem patris primario introducta est.

XIII. Adoptiones & arrogationes in Germania raro occurunt, cessantibus rationibus.

XIV. In vniione prolium nil nisi pactum parentum requiritur.

XV. Vnlo hæc, quam ICti quidam sub nomine adoptionis Germanicæ venditant, vna cum adoptione Rom. antiquis moribus Germanicis ignorata fuit.

XVI. Plures modi Rom. soluendi patriam potestatem apud nos extra usum sunt, & notandum venit axioma: cessante causa potestatis patriæ, cessat & ipsa potestas.

XVII. Emancipatio ad certum actum expediendum; quam ICti quidam effinxerunt, plane nullius momenti est.

THESES

Occas. Tit. XIII. ad XXII. Lib. I. Instit.

PUBLICE DEFENDENDAE

AB AVCTORE

FRIDERICO IVLIO SPECKHVHN
MAGDEBURGENSI.

Thef. I.

TUtela est munus publicum.
II. Diuiditur I. R. in testamentariam, legitimam & datuum. Sed I. G. lis de hac diuisione frustranea est.

C 2

III.

- III. Tutor testamento datus confirmatione indigens
I. R. pro testamentario est habendus, non pro datiuo.
I.G. nihil refert.
- IV. Posthumis testamento tutor dari potest.
- V. Valde controvèrtitur, quis posthumus dicatur?
Sunt, qui eum dicunt posthumum, qui post testamentum
conditum nascitur: & sunt, qui eum posthumum dici con-
tendunt, qui post defunctum patrem in lucem editur,
quibus assentior.
- VI. Seruus proprius sine libertate testamento tutor
datus tacite directam accipit libertatem I. R.
- VII. Tutor Rom. datur personæ, non causa: secus se
habet in Germ. mit dem Vermund.
- VIII. Deficiente testamentario tutore, proximi agnati
ad tutelam vocantur.
- IX. Intuitu tutelas quis pro parte testatus, pro parte in-
testatus decedere potest.
- X. Quo ordine defertur hereditas, eodem etiam or-
dine legitima tutela.
- XI. Legitima parentum tutela Iur. Rom. & Germ.
non est eadem.
- XII. Maximam & medium capit is deminutionem
passi personæ esse definunt I. R. Sed I. G. capit is deminu-
tio exigui est usus.
- XIII. Dignitatis priuatio non inducit capit is deminu-
tionem.
- XIV. Minores XXV. annis a tutela dativa & legitima
prorsus excluduntur. Quod contra in testamentaria.
- XV. Magistratui tutoris datio, quæ ex L. Attilia de-
scendit, non competit, nisi speciali lege concessa: I. G. or-
dinariae iurisdictioni, etiam inferiori, regulariter coheret.
- XVI. I. R. post puberitatem tutores rationes reddere
tenentur: I. G. quotannis.
- XVII. Tutoris autoritas non est necessaria, si pupil-
lus conditionem suam reddit meliorem.
- XVIII. Pupillus contrahens sine tute r non obligatur
ciuiliter, licet naturaliter quandoque.
- XIX. Contractus bilaterales a pupillo sine tute r initi
sunt

sunt claudicantes: quos, si pupillus velit impleri, ipse ut impleteat, necesse est.

XX. Autoritatem tutor interponere nequit, si inter ipsum & pupillum aliquid gerendum.

THESES

Occas. Tit. XXII. &² seqq. usque ad f. L. I. Inst.

PUBLICE DEFENDENDAE

AB AVTORE

CHRIST. GVILIELMO KORNMANN

MAGDEBURGENSI.

Theſ. I.

Venia ætatis iuri N. conueniens, eamque conceden di facultas est penes Germ. principes? conf. ill. DN. a LVDEWIG. opusc. de ætat. legit. pub. & mai. c. 9. probl. II.

II. Capitis deminutio, licet maxima, I. G. tutelam minime tollit. Quamuis, ad talēm vel similem p̄cnam, capit⁹ deminutionem I. R. efficientem, condemnatus ut remouetur, alia suadeat ratio.

III. I. G. finita tutela tutor pro administratione præmium petit iure perfecto.

IV. I. G. cessar distinctio inter puberes & maiores, quos communis vocabulo appellamus: die zu ihren (männli- chen) (voigtbaren) Jahren gekommen. Loco tutorum & cu- ratorum I. R. distinctorum I. G. utimur non sine ratione vocibus: Mün dius, Vermund, Gethaber, synonymis.

V. I. G. tutor non tenetur satisdare vel alio modo cauere.

VI. Causæ excusandi a munere tutelæ I. R. non inepte diuiduntur in necessarias & voluntarias. Sed I. G. distin- ctio haec cessat.

VII. I. G. omnes causæ excusandi simul proponendæ.

VIII. I. G. tutelæ iam suscepτæ, non ex numero, sed ex onere, excusant a noua subeunda.

IX. I. G. literarum expers non omnino vacationem meretur a munere tutelæ.

X. I. G. milites superioris ordinis volentes ad tutelam admittendi.

XI. I. G. marito ipso iure cura vxoris defertur. Er wird ihr ehelicher Voigt.

XII. Curator mulieris est improprie sic dictus.

XIII. I. G. non singulare ius est, quod mulieres ad accusationem suscepτi admittantur. Ius enim standi in iudicio iis iure ordinario competit.

XIV. I. G. non tenet tutor ad confirmationem iudicis se offerre ante citationem, nec ideo sit suscepτus. Multo minus incumbit illi damni, hac mora bonis pupilli illati, restitutio.

XV. I. G. Magistratus in arbitrio est, confirmationem tutori dare vel denegare. Et confirmationem efflagitans, suscepτus est.

XVI. I. G. tutor remotus, licet ob dolum, non tamen fit infamis. conf. THOMAS. not. ad ff. tit. de his qui notantur infamia. Et formula, quam in foris G. sententiæ adiicere solent: seiner Ehren unbeschadet, superflua est.

THESES

Occas. Tit. I. & II. Lib. II. Inst.

QVAS DEFENDET

AVCTOR

IOH. AVGUSTVS FRAVENDORFF

CVSTRIN. MARCHICVS

Thef. I.

ADRES communes, quarum usus omnibus hominibus a natura concessus, cum Imperatore nostro & Grootio littora maris sunt referenda, immo & mare ipsum, Seldeno frustra refragante.

II.Ce-

- II. Cenotaphium non est locus religiosus.
- III. Usus doctrinæ de rebus diuini iuris exiguis inter protestantes aut plane nullus est.
- §. IV. In occupatione tanquam attributum essentiale requiritur corporalis adprehensio.
- V. Seruitutem gentium iuri siue naturæ non contrariam esse, iudicamus.
- VI. Male a commixtione pecoris ad frumenti commixtionem argumentatur Tribonianus.
- VII. B. F. possessor fundi fructus, perceptos sibi acquirit: extantes nondum usucaptos verus sibi vindicat dominus.
- VIII. Qui fundum alienum m. f. possedit, fructus restituir & perceptos & quos percipere dum potuisse neglexit.
- IX. Thesauri acquisitione tam ad inuentionem quam ad accessionem I. R. refertur.
- X. Res incorporales tradi non possunt.
- XI. Res corporales sunt vel mobiles vel immobiles. Classi posteriori accensendæ res usui perpetuo & certo loco destinatae, e. g. eisern Vich &c.

THESES

Occas. Lib. II. Inß. a Tit. III. ad IX.

AB AVCTORE

IOHANNE SAMVELE WILKE

ZÜLLICOVIENSI - SILESIACO

PUBLICE DEFENDENDAE.

Thef. I.

Seruitutes rusticæ & urbanæ a prædiis dominantibus nomen trahunt.

II. Prædia ipsa vero non a loco, sed ab usu dicuntur.

III. Seruitus oneris ferendi, qua paries a domino fundi seruientis resciendus, iure Rom. anomala, iure G. talis non est.

IV. Ser-

- IV. Seruitus personalis est, ubi fundus seruit personæ.
V. Vſufructuarius vtitur re vti est: hinc ea m i mmu-
tare nequit.
VI. Resolutio iure vſufructuarii resoluitur ius eius, cui
vſuſructus cessus.
VII. Minus habet, qui vſum, quam qui vſumſructum
habet.
VIII. Habitatio plus est quam vſus ædium, minus
quam vſuſructus.
IX. Vſucapio introducta est primario ad certitudi-
nem dominiorum.
X. Præscriptio potius in negligentia pœnam conces-
ſa vi detur.
XI. Res sacrae & religioſae contra iuris Rom. principia
Germ. iure recte vſucapiuntur.
XII. Præscriptionem immemorialem tanquam ens
obſcurum merito reiicio.
XIII. Donatio perperam ad modos acquirendi domi-
nium ciuiles refertur.
XIV. Acceptatio expressa donatarii ad donationis va-
lorem haud requiritur I. R. recentiore & G.
XV. Mortis cauſa donationes veteribus Germanis
plane fuerunt interdictæ.
XVI. Fundum dotalement maritus I. G. valide alienat,
cessante ratione Romana.
XVII. Pignus recte definitur per ius in re debitoris
creditori concessum in securitatem crediti.
XVIII. Peculia Romana vix videntur applicabilia in
Germania.
XIX. Multum interest inter acquisitionem R. per ser-
vos & G. per homines proprios.
XX. Testamenti factio Germanis olim prorsus fuit
ignota.

THESES

THESES
Occas. Tit. X. vsque ad XIV. Lib. II. Inst.
PVBLICE DEFENDENDAE
AB AVCTORE
FRIDER. WILHELM. BRANDHORST
POTSDAM. MARCH.

Thef. I.

Testamentum est ultima voluntas legitime declarans heredem directum.

II. Sed in Germania Testament etiam denotat codicillos.

III. Quemadmodum quoque Erbe non raro indigit quemuis, qui occasione mortis alicuius aliquid lucratur.

IV. Testamenta non sunt Iuris Naturæ.

V. Imaginaria est æquitas atque pietas, ex qua non nulli testamenta commendant: nec obſt. Iefaiæ cap. XXXVIII. vers. i.

VI. Testamenta sunt pestis Germaniæ.

VII. Seruis Germanicis facultas testandi non omnino deneganda est.

VIII. Hinc testamenta eorum, qui apud hostes sunt, valebunt citra fictionem iuris postliminii & Legis Corneliae, & licet tales sint serui.

IX. Iure Romano nemo decidere debet pro parte testatus & pro parte intestatus: quod Iur. Germ. nihil noui est.

X. Scrius, qua talis, in Germania heres esse potest, & hereditatem sibi acquirit.

XI. Heres solus in re certa institutus non statim totam hereditatem nanciscitur in Germania.

XII. Valet heredis institutio in diem iure fideicommissi.

XIII. Contenta Legis 88. J. fin. D. de legat. II. ad testamenta Germanica admodum apta sunt: indeque ad effectum codicillorum eventualium absolute necessaria non est clausula codicillaris.

THESES

Occaf. Institut. Lib. II. Tit. XV-XIX.

QVAS PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IO. ANDR. PFANNENSCHMID

QVEDLINEVRGENSIS.

Thef. I.

Direkte substitutus nihil accipit, si heres priore loco institutus hereditatem ipse aedat.

II. Fideicommissarie substitutus tunc demum accipit hereditatem si heres priore loco institutus eam aedat.

III. Direkte substitutus non patitur detractionem Falcidiae, bene tamen fideicommissarie substitutus.

IV. Quoties testator ultra annos pubertatis substitutionem extendit, toties hoc respectu fideicommissum subesse præsumitur.

V. In substitutione militari filius post pubertatem decedens Trebellianicam non derrahit de bonis a patre acceptis substituto restituendis.

VI. De I. R. solus pater sub prætextu & forma substitutionis filio condere poterat testamentum. De I. G. nulla ratio supereft, quare non etiam mater id facere possit.

VII. Pater pupillariter substituendo duplex quasi condit testamentum.

VIII. Clauſula derogatoria & iuratoria ultimæ dispositioni inserta non impedit, ne testamentum posteriore rumpatur: nemo enim sibi ipsi legem dicere potest.

IX.

IX. Testamentum solenne maximam partem nuda
reuocatione ante decennium elapsum reuocari potest, sci-
licet quoad legata & fideicomissa; imo & heredis insti-
tutio directa aliquando etiam minus solenni reuocatione
maximam partem eueri potest vi fideicomissi.

X. Testamento inofficium est, in quo is, cui debe-
tur legitima, ab ea prorsus exclusus est per exhereditatio-
nem rite, sed inique factam.

XI. Querela inofficii non datur, si aliud remedium
competit.

XII. De I. R. heredis institutio directa erat essentialie
testamenti sine qua subsistere non poterat. In Germania
dicitur etiam *Testament*, & valebit dispositio ultima, in qua
heredis institutio omisla.

THESES

Occas. Tit. XX. usque ad f. Lib. III. Instit.

PUBLICE DEFENDENDAE

AB AVCTORE

FRIDERICO IVLIO SPECKHVHN

MAGDEBURGENSI.

Thef. I.

Verborum significatus, circa quos enucleandos con-
stituendosque juris archirectus *Tit. de legatis* ma-
ximopere est follicitus, I. G. parum aut plane non
attendendi, sed linguae Germ, indolis potissimum habenda
est ratio.

II. Legato debito creditor, ius debitum petendi ex-
tinguitur, si creditor legatum solutum sit.

D 2

III.

III. Principi ex testamento imperfecto legata non debentur: cuius rei ratio tamen vera non est, quam profert *fin. Inst. quib. mod. testam. infirm.*

IV. I. G. in quibusdam locis vxori dos prælegari non potest.

V. Captiuis atque Iudæis I. G. valide legari debet.

VI. Inutilis ac nullius plane momenti est eorum sententia, qui in re coniunctis non iuri accrescendi, sed iuri non decrescendi locum esse afferunt.

VII. Exiguus est usus practicus dispositionis Instit. quod, re aliena legata, legatario incumbat probatio, defunctum sciuisse, se rem legare alienam.

VIII. Quæ de pretiis feruorum tit. de lege Falcidia disponuntur, falso applicantur ad equos in funeribus nobilium duci soliros.

IX. Valet fideicommissum heredi præsenti impositum, et si hic testatori non assenserit vel contradixerit.

X. Licer de testamenti validitate iudicio agatur; legatarius tamen legatum petere potest. *L. f. Cod. de Her. pet.*

XI. Heredes ab intestato valide grauari possunt fideicommisso.

XII. Liberi vel parentes fideicommissio onerati & legitimam & Trebellianicam deducere nequeunt I. R. vfu fori G. certo respectu queunt.

XIII. Rogatio testium in codicillis non est necessaria; sed sufficit, si illi fortuito interuenierint.

XIV. Codicilli etiam sceminis testibus adhibitis subsistunt.

THE-

THESES

Occas. Lib. III. Inst. tit. I. vsque ad XIV.

CONSCRIPTAE

QVARVM DEFENSOR ERIT

AVCTOR

CHRIST. GVILIELMVS KORNMANN

MAGDEBURG.

Thef. I.

Frustra IVSTINIANVS lib. III. Instit. tit. 2. §. 3. vindicem naturalis æquitatis se iactat in eo, quod successionem, masculis antea tantum indultam, cum feminis quoque communicauerit. Meo iudicio eadem hic fauoris ratio erga sexum femininum, quæ supra lib. I. tit. 6. §. 7. & tit. 7. eod. lib. fuerat in manumittendos. I. G. igitur prudentissime huc vsque in quibusdam locis feminæ successione in bona hereditaria & fidelia interdicuntur.

II. In successione ab intestato sedulo distinguendæ sunt quæstiones: quis succedar, & quomodo succedendum.

III. I. G. inter collaterales quoad quæstionem: *quis?* simpliciter quandam obtinuit & in quibusdam locis adhuc obtinet regula: proximior excludit remotiorem cum declaracione: halbe Geburt schreitet fort in ein ander Glied: quoad quæst. *quomodo?* in capita semper valuit successio, so vfel Mund, si viel Pfund.

IV. Ius repræsentationis est singulare beneficium contra iuris ordinarii regulam fratris defuncti liberis ideo concessum, vt personam patris præmortui repræsentent, & hoc modo aequè propinquiant patruo defuncto ac fratres eius adhuc superstites.

V. Inde nepotes inter se soli concurrentes iure ordinario aucto succedunt, nec opus eis est beneficio representationis.

VI. I. G. cessauit representationis segmentum.

VII. I. G. unilateribus magis fauet quam R. disponit enim ita de his: halbe Geburt schreitet in ein ander Glied und nimt Erbe in dem nächsten Grad.

VIII. Est casus, in quo quis ex duplice & adgnationis & cognitionis iure, duplēcē quoque hereditatis sibi vindicare potest partem.

IX. I. G. priuati recte ineunt pacta successoria.

X. Inde & I. G. simplici pacto hereditatis cuiusdam iuri nuncium mittere licet.

XI. I. G. pacta & contractus non distinguit.

XII. I. R. recte se habet diuisio contractuum in reales, verbales, litterales & consensuales. Nec Caius in Instit. dissentit. conf. ILL. DN. a LVDEWIG diff. de nexus script. &³ subscript. c. 1. §. 5.

XIII. Doctrina DD. iuris R. de gradibus culparum est nimis obscura, nec in foris applicari potest ad facta. Ideoque I. G. ius nat. in hac quoque materia sectantes huius doctrinæ indigestum chaos nil morarur. conf. THOMAS. diff. de gradibus culparum in contractu p. 1. c. 2. §. 19.

XIV. Contractus nominati formulam actionis in Albo prætoris præscriptam habebant sibi propriam, præterquam quod illis speciale nomen sit indulatum. Qua propter contractus estimatorius nequicquam ad illos referendus. I. G. nihil ex hac differentia pender.

XV. Contractus, ad quos perficiendos neque traditione rei, neque verborum, neque litterarum solennibus opus est, sunt bon. fid.

THE-

THESES

Occas. Tit. XV. & seqq. usque ad Tit. XXI. Inst. Lib. III.

DEFENDENDAE

AB AVCTORE

IOHAN. AVGVSTO FRAVENDORFF
CVSTRIN. MARCHICO.

Thef. I.

Translatio dominii in mutuo obtinet: quicquid regerat Salmasius.

II. Si commodatarius rem commodaram alienauerit, aduersus possessorem b. f. I. G. commodanti rei vindicatio negatur: in variis locis recentiori iure conceditur.

III. Iurisprudentia Rom. formularis innumeris litiibus aditum ad fora veterum præclusit, quæ in hodiernis vbiique obviae sunt.

IV. Absentibus iur. Germ. valide stipulamur.

V. Neque stipulatio inutilis redditur, si stipulans eius fit iuri subiectus, a quo stipulatur.

VI. In materiam stipulationum multas steriles argumentias & subtilitates congregavit Tribonianus in Germania nullum usum habentes.

VII. Nullum iuramentum contra LL. valet de ratione naturali.

VIII. I. G. inter mercatores commendans pro mandante habetur: nisi expressa accesserit protestatio.

IX. Personalis exceptio debitoris fideiussori non prodest.

THE-

THESES

Occas. Lib. III. Inst. a Tit. XXII. ad XXVII.

QVAS PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

JOANNES SAMVEL WILKE

ZÜLLICOVIENSI-SILESIACVS.

Thef. I.

Cambium tam proprium quam improprium negotium recentius est.

II. Cambium proprium continet negotium ex permutatione & mandato mixtum.

III. Implementum in contractibus confensualibus ad consummationem contractuum, non ad obligationem deum efficiendam pertinet.

IV. Contractus consensuales omnes sunt bona fidei.

V. Arrha ad emtionis venditionis substantiam non requiritur, modo de pretio conuentum sit.

VI. Neque pecunia parata (baar Geld) desideratur, sed de pretio fides haberi potest.

VII. Non emtionem venditionem, sed permutacionem contrahit, qui in folle pecuniam dat.

VIII. Pluribus eadem res locata illi assignanda est, cui prius tradita est.

IX. Vix est ut obueniat societas vniuersalis.

X. Inualida est societas, qua alter solus omne lucrum, alter solus omne damnum ferre deberet.

XI. Nimium frequentes & urgentes persuasions non consilii sed mandati instar censenda.

XII. Licet remuneratio indeterminata promissa, quam vocant honorarium, a iudice in G. id potest determinari.

THESES

THESES

Occas. Tit. XXVIII. XXIX & XXX. Lib. III. Instit. Infin.

ASERET AVCTOR

IOAN. FRIDERICVS SCHVLTZ,

STENDAL.

Thef. I.

C
Ontentiosissimæ lites in obligationibus, quæ quasi ex contractu oriuntur, meo quidem iudicio, faciles ad componendum; inanes tamen I.G.

II. Quasi contractus sunt negotia, quæ duas inuicem partes, alteram ex facto, alteram ex lege obligant, ob causas honestas.

III. Istæ autem caussæ vel ex æquitate descendunt, vel ex utilitate. In vtramque lex vel singit consensum, vel præsumit.

IV. Negotiorum gestionem etiam decreta naturæ volunt; neque parum interest reipublicæ, absentium rebus prouideri.

V. Censu negotiorum gestionis æstimanda etiam administratio in rebus pupilli aut prodigi, licet præsentis, at sine curatore.

VI. Ius Germanicum non indiger schemate quasi contractus in tutelis.

VII. Facti errore solutum repeti potest, ut indebitum: idemque in ignorantia iuris, vbi patrimonium diminutum.

VIII. Verus videtur esse contractus in recepto, quo caupones tenentur, naturæ, cert.

IX. Ius G. non patitur lites excrescere in duplum aut quadruplum; neque piis caulis in hoc aliquid indulget singulare.

X. Iure G. seruus obligationem acquirit domino ex mandatis.

E

XI. In-

- XI. Inuito creditor i soltiere potest extraneus.
 XII. Neque dubitandum, quin etiam pro inuito debitor
 sole queat.
 XIII. Nouante muliere, redditur obligatio prior; sed
 pupillo, exspirat prorsus.
 XIV. Iure G. seruus expromissoris partes valide susti-
 net.
 XV. Ius G. opus non habet Aquilianæ stipulationis
 lusu; sed tollit obligationem, die Quisitum.
 XVI. Iure G. sufficere deberet in nouatione: wenn
 jemand, die Schuld auf sich zu nehmen, versprochen,

THESES

Occas. Institut. Lib. IV. Tit. I-V.

QVAS PVBLCIE DEFENDET

IO. ANDR. PFANNENSCHMID,

QVEDLINBURGENSIS.

Thef. I.

D Elictum in statu reipublicæ est factum lege positiva
 pena notatum.

II. In Germ. omnia delicta pro publicis repu-
 tantur, partim quod in C. C. C. omnibus delictis publicæ
 penæ dictatae sint; partim quod ex I. Can. processus in-
 quisitorius receptus sit, vbi iudex ad probabilem denun-
 ciationem ex officio causam cognoscere tenetur.

III. Divisio furti in manifestum & nec manifestum in
 Germania exigui usus erit: effectus enim huius divisionis,
 pena scilicet priuata, hodie cessat.

IV. Scrutatio domestica in Germania non nisi iussu
 iudicis fit. Secus erat apud Rom.

V. Is, qui furtum concepit, der Diebes. Heeler, ordinaria
 pena

pœna furti plectendus, si tantum ex furto participauerit,
quantum ad illam requiritur.

VI. Si forsan furtum a parentibus & liberis, item con-
iugibus, sit commissum, pœnæ ordinariæ locus non est, at-
que ultra erga fulnum non procedendum; immo magistra-
tus ex officio in has personas non inquirit.

VII. Cum in Germania pœnæ priuatæ Roman. re-
ceptæ non sint: læsus sola damni reparatione contentus
esse debet.

VIII. Et hinc etiam sequitur, totam doctrinam de di-
uersis capitibus Legis Aquiliæ ad nos applicari haud posse.

IX. Actio iniuriarum æstimatoria tamen in Germania
in quibusdam locis ex I.R. recepta est; in quibusdam ve-
ro abrogata.

X. Qui iniuriam sibi illatam ad animum non reuoca-
uit, ei non datur actio.

XI. Immo si quis iniuriam ad animum reuocauerit, ex
postfacto vero signis perspicuis remissionem iniuriæ de-
clarauerit, actio iniuriarum remissa censetur.

XII. Si iniuriatus cum iniuriante ante motam actio-
nem in gratiam redierit, magistratus leuiorem imponit
pœnam.

THESES

Occas. Tit. VI. vsque ad Tit. IX. Lib. IV. Inflit.

PUBLICE DEFENDENDAE

AB AVCTORE

FRIDERICO IVLIO SPECKHVHN,
MAGDEBURGENSI.

Thef. I.

I Vr. Germ. actio recte definitur, quod sit medium co-
ram magistratu persequendi id, quod sibi debetur.

II. Frustraneus est interpretum labor sese torquen-

E 2

tium

tium in inueniendo illo casu, cuius Imperator *f. 2. Inst. de Action.* mentionem iniicit; cum ipsa actio negatoria hic innatur.

III. I. G. omnes actiones sunt publicae autoritatis.

IV. Actiones dupli, tripli, quadrupli in G. foris cessant.

V. Actioni in factum ex iureiurando extrajudiciali in Germania vix aliquis vsus est.

VI. Idem de constituta pecunia dicendum.

VII. Inter actiones bonae fidei & stricti juris haec etiam erat differentia, quod illa ab arbitris, haec vero a iudicibus essent discutiendae. Conf. *ILL. DN. HEINECCII Antiq. R. tit. de act. I. G.* nullus huius distinctionis actionum est vsus. *THOMASIVS Annot. ad Inst. lib. IV. tit. 6.*

VIII. Arbitrariæ &b. f. actiones non sunt vnius eiusdemque naturæ.

IX. Omnes species actionum b. f. *tit. VI. §. XXXVIII.* esse propositas, probari haud poterit.

X. Actio stricti juris in effectu facile in actionem b. f. conuerteri poterat I. R.

XI. I. R. quondam plus petens caussa cadebat. **I. G.** nihil plus petitio efficit, quam ut actor in expensas frustra alteri causulas condemnetur, salvo præterea ipsi manente iure.

XII. Fundamentum beneficij competentiæ est humanitas lege ciuili firmata.

XIII. Liberi ac serui delinquentes propria conuentione tenentur I. G. Cessant igitur moribus noxales actiones.

XIV. Exceptionis SCsulti Macedoniani in Germania nullus est vsus. Vid. *ILL. DN. A LVDEWIG Opusc. de Muto Diff. VII.*

THESES

THESES

Occas. Lib. IV. Inst. tit. X. usque ad XIV. incl.

QVAS PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

CHRIST. GVILIELMVS KORNMANN,

MAGDEBURG.

Thef. I.

I Vr. Rom. ipsius domini præsentia in iudicio requirebatur, conf. ILL. DN. HEINECCI *Antiq. R. lib. q. tit. 10. §. 2.* quod I. G. fecus, frustra dominium litis suadente Recessi Imperii, vid. ILL. DN. BOEHMERI *Iur. Eccl. L. I. T. 38. §. 43.*

II. I. R. procurator differebat ab actore. Formula inde etiam in fora G. peruenit, quod tutor solus non constitutus procuratorem, sed actorem.

III. I. R. ad dominium litis transferendum requiriatur titulus, quem suppeditat mandatum, & modus, qui accedit ex litis contestatione. I. G. procurator tantum indiget mandato.

IV. Satisfatio Lib. q. Instit. tit. 10. sumitur pro omni cautione.

V. I. R. recte liberatur a satisfatione de iudicio sibi possessor rerum immobilium, licet dominium eius sit reuocabile, vel acto de ipsis iis bonis reo item mouerit. I. G. cautio cessat in possessoribus rerum immobilium.

VI. In prorogata iurisdictione prorogans non tenetur ad cautionem de indicato soluendo.

VII. Index nimia cautione onerans tenetur ad id, quod interest.

VIII. Cautio de lite prosequenda superflua est.

IX. I. Can. actiones rei persecutoriae ex delicto contra heredes danrur, licet nihil exinde ad illos peruererit.

X. Actiones, quæ alias morte exspirant, contestatæ ad heredes transeunt.

XI. I.R. exceptiones in sensu strictissimo sunt appendiculæ ex I. N. desumptæ, a prætore formulis actionum ad iudicem pedaneum datis adiectæ, ad elidendam duram actionem ciuilem.

XII. Inde actionibus b.f. exceptiones ipso iure inesse dicuntur. Contra: in actionibus stricti iuris exceptiones sunt facti; que rāmen alio respectu dicuntur iuris.

XIII. In sensu generaliori tam secundum Ius Rom. quam Germ. exceptiones sunt defensiones rei per allegationem caussarum intentionem actoris excludentium. conf. DN. PRAES. *diff. de vera indole except. legit. ad caus. s. 5.*

XIV. I.G. omnes exceptiones simul in primo termino proponendæ.

THESES

Occas. Tit. XV. vsque ad Tit. XVII. Lib. IV. Inst.

QVAS PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOAN. AVGVSTVS FRAVENDORFF,

CVSTRIN. MARCHICVS.

Thef. I.

Possessio non est species iuris in re.

II. Possidentes merito prædicantur beati.

III. Reus iuramentum calumniæ derrectans seu confessus & coniunctus condemnari potest.

IV. Qui responso collegij iuridici nixus caussa cadit, in expensas condemnari regulariter nequit.

V. Iura-

V. Iuramentum aduocatorum de iustitia causæ hodie non requiritur, nisi in appellatione.

VI. Inter remedia coercendi temere litigantes non ultimum locum occupat pecunia, vulgo, Succumbenz-Geld, dicta.

VII. Damnatus ob dolum in contractibus aut delictis in Germania non statim fit infamis.

VIII. Processus inquisitorialis in fora Germanica introductus accusatorio est præferendus.

IX. Proverbium: Wo kein Kläger, da ist kein Richter, hodie ad ciuiles processus est restringendum.

THESES

Occas. Tit. XVIII. Lib. IV. Inst.

QVAS PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

JOANNES SAMVEL WILKE,

ZÜLLICOVIENSI- SILESIACVS.

Thef. I.

O B publica crima quilibet iure Rom. ex populo agere poterat.

II. Et solenni quidem accusatione, cum inscriptione in crimen coniuncta.

III. Germ. iure iudicia publica sunt tractatio de criminalibus publicis eorumque vindicatione a magistratu criminali peragenda.

IV. Processus accusatorii, multis quippe difficultatis bus obstricti, hodie sunt rariores in Germ.

V. Frequentiores vero & receptiores inquisitorii.

VI. Omni-

VI. Omnibus criminibus hodie in Germania publica pœna est constituta.

VII. Homicidia in dolosa, culposa & casualia dividuntur.

VIII. Homicidium commissum ab eo, qui in re licita, licito modo, licito tempore versatus, non nisi casuale est.


IX. Vna ex his circumstantiis deficiente, in culposum statim degenerat homicidium.

X. Huc quoque medicorum homicidia culposa refer, pro modo culpa admissæ punienda.

XI. Assassiniū commitens ut latro rota puniendus est.

XII. Ius canonicum c. i. de homicid. in 6to non eosdem sub assassinis intelligit, quos vulgo ita dicunt.





Halle, Diss., 1738

V
D
18
sb.

ULB Halle
001 600 133



3

B.I.G.

Black

19

18

17

16

15

14

13

12

11

10

9

8

7

6

5

4

3

2

1

0

Inches

Centimetres

1

2

3

4

5

6

7

8

9

10

11

12

13

14

15

16

17

18

19

20

21

22

23

24

25

26

27

28

29

30

31

32

33

34

35

36

37

38

39

40

41

42

43

44

45

46

47

48

49

50

51

52

53

54

55

56

57

58

59

60

61

62

63

64

65

66

67

68

69

70

71

72

73

74

75

76

77

78

79

80

81

82

83

84

85

86

87

88

89

90

91

92

93

94

95

96

97

98

99

100

101

102

103

104

105

106

107

108

109

110

111

112

113

114

115

116

117

118

119

120

121

122

123

124

125

126

127

128

129

130

131

132

133

134

135

136

137

138

139

140

141

142

143

144

145

146

147

148

149

150

151

152

153

154

155

156

157

158

159

160

161

162

163

164

165

166

167

168

169

170

171

172

173

174

175

176

177

178

179

180

181

182

183

184

185

186

187

188

189

190

191

192

193

194

195

196

197

198

199

200

201

202

203

204

205

206

207

208

209

210

211

212

213

214

215

216

217

218

219

220

221

222

223

224

225

226

227

228

229

230

231

232

233

234

235

236

237

238

239

240

241

242

243

244

245

246

247

248

249

250

251

252

253

254

255

256

257

258

259

260

261

262

263

264

265

266

267

268

269

270

271

272

273

274

275

276

277

278

279

280

281

282

283

284

285

286

287

288

289

290

291

292

293

294

295

296

297

298

299

300

301

302

303

304

305

306

307

308

309

310

311

312

313

314

315

316

317

318